



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

5 De iure ac priuilegio reuocandi cognitionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

CAPVT V.

De iure ac privilegio reuocandi domum.

SVMARIA.

- 1. In & privilegium reuocandi domum quibus competat, cum apud iudices curia conuenitur.
- 2. Legatus non habet ius reuocandi domum pro contractibus tempore legationis factis.
- 3. Quod si legatus, vel alij similes ius habentes, contraxerint ut aduena, an habeant ius reuocandi domum.
- 4. Privilegium reuocandi domum, non competit his qui in curia alios ad iudicium vocauerint.

Priueipis curia hoc iuris habet, quod quilibet dum in ea est, in ciuilibus apud curiam iudices poterit conueniri, etiam si ibi non contraxerit, *reg. l. 4. §. item 5. tit. 3. part. 3.* ex eo quidem, quod regis curia omnibus sit forū, & tribunal, quod admodum de Romana curia dicitur in *c. ult. de foro comp. not. gl. in c. 2. p. ab. in 6. ex c. 2. eo tit.* Sed & de curia principis secularis idem premititur Henr. in *d. c. ult. & tenet expressim Pan. ibi colligens & Socin. n. 63. Bald. Ang. Curt. Inn. & Lancel. Dec. in l. 2. §. legatus, ff. de iud. Quibus est adiciendum, Romam olim dictam fuisse communem patriam. *l. Roma. ff. ad municip. non ex eo, quod ibi quilibet possit conueniri: sed alia ratione, quam optime explicuit And. Alciat. lib. 2. disp. cap. 21.**

Sapientissime tamē opponitur ab his qui apud curiam iudices conueniuntur, privilegium reuocandi domum, quod ex præcitata lege regia competit primū, & denique his, qui ad curiam accesserunt ex causa necessaria: nempe ut domum, quæ comitari alioqui tenentur, profectantur. Item legatus, item missus à municipio, & patria: sicuti in *d. l. regia*, probatur, ita ut habeat hoc privilegium locum etiam in legato missio à propria ciuitate & patria Bart. Alb. & Doct. in *d. §. legatus*, competit idem privilegium his, qui ad curiam vocantur causa dicendi testimonii, & his qui ad profectendam appellationem ab ipsismet propositam ad curiam accesserunt, ite his, qui à Rege vocantur. Horum etenim exemplorū mentio fit in *d. l. 2. §. legatus*, & in *d. l. 4.* in hunc sane modum, ut Iuriconsultus in *d. §. legatus*, omiserit vocatum à Rege, & addiderit iudicem destinatum, aut missum in prouinciā, transsemitem tamen per Romam, aut curiam: non enim poterit hic ibi, nec in ipso loco, ubi iudex est, conueniri, vt not gl. in *d. §. legatus*, in verb. *destinatus*. Regia vero lex adiecit missum à municipio, & patriā: & eum, qui dominum euntem in curia sequitur. Etenim hi omnes habent ius reuocandi domum, nec possunt in curia conueniri, cum in ea sint ex causa necessaria. *arg. cap. ult. de dilation. missum autem à municipio hoc ius habere intelligo, etiam ubi is missus fuerit, vt sit eius republicæ procurator, secundum Inno. Ioan. And. & Doct. communiter in d. c. ult. de for. comp. vt fatetur ibi Marian. Soc. n. 66. competit & hoc ius, vt constat, non tantum existentibus in curia ex causa necessaria, sed & his, qui ibi sint ex causa probabilis, quæ sit quasi necessaria, vt causa religionis vel studii. glo. communiter recepta in *d. §. legatus*, qua de re multa tradit Marian. Soc. in *dist. cap. ult. n. 62.* ex quibus aliquot hoc in loco ad legis regie interpretationem adnotabimus.*

Primum enim quod dicitur de legatis est intelligendum nisi super contractibus tempore legationis ab eisdem factis. Nam pro his non habent ius reuocandi domum, text. in *d. l. 2. §. legatus*, autem *verf. & ceterum*, pro aliis autē contractibus ante legationem, etiam in loco legationis initis, non poterit legatus ibi conueniri: imo habet ius reuocandi domum, sicuti Iurifconsultus ibidem respondit. Qua in re aduertere oportet, quod regia lex in omnibus habetibus ius reuocandi domum, censet privilegium hoc cessare, nec esse admittendum, ubi contraxerint hi in eodem loco: & expressim insinuat, tempore quo ex his causis in eodem loco sunt & morantur. Ita enim inquit: *Pero par qualquier de estas maneras sobre dichas, que viniere a la corte el demandando, si estando ay vendiere, o comprare, o hiziere otro pleyto qualquier, o tuercio, o suereca, o dando, o otro yerro fiziesse, tenudo es de responder ay por ello, si gelo demandaren.*

Et tamē ex Iurifconsulto ea est interpretatio sumēda, vt in legatis plane procedat sensus ex cōtrario: id est, quod habeat ius reuocandi domum, si ante tempus legationis in eo loco contraxerint, in aliis autē cesset hic sensus, cum minime sint hoc privilegio vsuri pro cōtrahibus in eo loco gestis priuilegio ex ea causa in eum locū accesserint. Sic plane loquitur Iurifconsult. secundū glo. ibi cōmuniter receptam in verb. *conueniuntur*. Est etiā de legato text. in *l. si legationis tempore, ff. de iudic.*

Sed & omnes, qui ius habent reuocandi domum ex prædictis causis, illo non possunt vt, quoties conueniantur pro contractibus celebratis, etiam ante causam illam, cuius ratione privilegium datur, si extra patriam, & prouinciam suam contraxerint: quasi pro his Romæ, & in curia possint conueniri, nec habeant ius reuocandi domum, extra quam ipsi contraxerunt, atque ideo nulla eis iniuria habet: siquidem extra propriam prouinciam in locis contractus conueniri possent, si ibi essent inuenti, nec haberent ius reuocandi domum. text. est celebris in *dd. §. item si extra*, qui notandus est, ad intellectum regia legis in *verf. Si estando ay vendiere, vt idem sit, si ante causam huius priuilegii, & priuilegium ex ea in curia venerunt, contraxerint in curia vel alibi extra eorum propriam prouinciam. Nam exceptis legatis ceteri non habent in hac specie ius reuocandi domum: hic est enim communis sensus omnium Doct. in *d. l. 2. §. omnes*, & in *d. §. item si extra*, hunc siquidem intellectum tradit secundo loco gloss. quam ibi sequuntur Bar. Bal. Paul. de Cast. Et est communis opinio secundum Lancelot. Dec. ibi idem tenet Mar. Soc. in *d. c. ult. n. 76.* Igitur, si quis habens privilegium reuocandi domum eadem causa priuilegii durante contraxerit extra propriam prouinciam, poterit pro hoc contractu in curia conueniri, nec habebit ius reuocandi domum. Hoc probatur, quia idem est pro contractibus ante causam priuilegii conuentis, ergo hoc ipsum seruabitur in his, qui contracti sunt tempore illius causæ, quæ ius alioqui reuocandi domum tribuit. Pro illis vero, quæ & hoc tempore intra prouinciam fecerit habebit quis ius reuocandi domum. Quia solum excipiuntur contractus in curia eo tempore celebrati vel extra propriam prouinciam, vel in eo loco, ubi quis conuenitur. Sicuti notatur in *d. §. omnes*.*

Legatus autem pro contractibus ab eo gestis, etiam Romæ ante legationem, non conuenitur Romæ, vt diximus, sed tantum pro contractibus ab eo Romæ tempore legationis celebratis aut in Italia. *l. cum furiosus, §. ult. ff. de iud.* Qui legationis causa inquit Papin. Romam venit, ex qualibet causa fidei debere potest, cum privilegio suo: cum sit in Italia contractum, vt non potest. Hæc legis verba libentius retali, quod gl. ibi communiter approbata, vt fatetur Albert. in *d. l. 2. §. omnes*, teneat legatum non habere ius reuocandi domum tantum in contractibus tempore legationis Romæ celebratis: pro his vero, quæ in Italia extra Romam contraxerit, habere eum ius reuocandi domum, etiam si tempore legationis contractum fecerit: quæ quidem interpretatio dura nimis est, & contraria Iurifconsulto. Quia ratione ipse opinor, veriorē esse opinionem Alb. quam retulit gl. in *d. §. item si extra*, vt tandem legatus tempore legationis pro contractibus tunc ab eo Romæ, vel in Italia celebratis possit Romæ conueniri, nec habeat ius reuocandi: non tamen pro his, quæ extra Italiam, etiam extra propriam prouinciam tempore legationis, vel ante contraxerit. Hic enim, ni fallor, est planus, & apertissimus Iurifconsulti sensus.

Quod vero diximus de legato, & aliis, simile ius habentibus, posse nempe eos in curia conueniri, si ibi contraxerint, id obtinet, & est intelligendum, etiam si vt aduena contraxerint. gloss. in *d. §. legatus*, in verb. *contraxerint*, quem sequitur ibi Pan. Cast. gl. idē tenet in *l. heres absens, §. proinde in verb. quot quot, ff. de iud.* quem ibi probarunt Bar. Alb. Pan. Fulg. n. 6. Lanc. Dec. Curt. Iun. g. notat Mar. Soc. in *d. c. ult. de for. comp. n. 76.* ex ea ratione, quod contrahens vt aduena in eo loco, ubi alia ex causa, quam ratione contractus forum sortitur, poterit ibi conueniri, si fuerit in eodē loco inuētus. gl. cōmuniter recepta in *c. Romana, §. nec etiam suffraganeorum, de for. comp. in 6.* propter duplex vinculum, quod in hoc casu datur & contingit. Idcirco quod modo notauimus satis iure probari videtur. & idem tenet lac. in *d. §. omnes*, licet Ang. in *d. l. heres absens, §. 1.* cōtrarium probare velit, sentiens, legatum Romæ contractentem vt aduena, non posse Romæ, nec in curia conueniri, sed habere ius reuocandi domum. Ex quibus constat, verus sensus Accurs. in *d. verb. quot quot*, voluit enim, quod sicut legatus contrahens Romæ tempore legationis, etiam vt aduena, potest ibi conueniri: quia Roma commune est domicilium, nec habet ius reuocandi domum: ita & fortiori ratione quilibet non legatus, Romæ vt aduena contrahens ibi poterit conueniri, nec habebit ius reuocandi domum. Sic etenim sensum gl. explicarunt Lanc. Dec. & Cur. Iun. ibi licet Bart. non satis percipiens, quid gl. voluerit, eius partem fallam esse dixerit.

Quid

Quid ergo, si contractus sit factus in eo loco, ubi alias quæ ratione contractus ipse contrahens non fortitur forum, & tamen contrahit non ut advena, sed habens pergulam, & armarium, an possit uti privilegio reuocandi domum ne conueniatur in eo loco, ubi est ex causa necessaria vel quasi necessaria. Et Pau. Castr. in d. §. omnes. nu. 3. existimat quod in hoc casu habeat locum privilegium reuocandi domum. Idem sentit gl. in d. §. legati in verb. destinati, Notat & Iacob. in d. §. omnes. licet gl. in verb. contraxerim. sentire videtur contrariâ, dum excludit ab examine causa locum contractus ab advena facti, cui non coheret aliud domicili ius: quasi admittat locum contractus facti ab habete pergulam mihi profecto multanti aridet, ac placet Pauli opinio.

His equidem libenter ipse adiecerim, posse pro contractibus celebratis eo tempore, quo causa privilegii tractatur, non tantum alios, sed & legatos in eo loco, ubi contraxerint, conueniri, quamuis ut advena conuentione fecerint, & nulla alia ratione, quam contractus, legati ibi forum fortiantur: modo nondum à loco contractus finita legatione discesserint.

Ceterum quo ad appellatam, cuius mentio fit in d. l. 3. §. legati. & quo ad legatum, & alios si agant in curia extra causam appellationis, aliosque ad iudicium uocauerint, inquit Iuriconsultus, quod cogentur, & aliis respondere, nec obtinebunt privilegium reuocandi domum. *in d. l. 2. §. sed si agant.* quem Accursius ibi ita interpretatur, ut non tantum teneantur respondere his, aduersus quos egerint, sed & omnibus. Sic enim inquit Iuriconsultus, compelluntur se aduersus omnes defendere, quem intellectus ibidem sequuntur Alber. Angel. Pau. Fulg. & Iacob. à S. Georg. Innoc. Mar. Soc. in d. c. vlt. de for. comp. ann. 73. ex quibus conitat, hanc opinionem esse magis communem. Poterit tamen locus hic aliter intelligi, ut teneantur legati se defendere aduersus omnes contra quos ipsi egerint: ita quidem non tenebuntur omnibus respondere, sed his solum aduersus quos ipsi egerint, quosque in iudicium uocauerint: quemadmodum antiquiores quidem ab Accursio citati in d. §. sed si agant, responsum illud intellexerunt, & prater eos Iac. de Rauent. Butrigarius, & Nic. quorum meminit Alb. Guliel. item de Cuneo, & Dy. quos Paul. Castr. retulit. quorum opinio plane probatur regia l. in d. l. 4. tit. 3. par. 3. quæ erit apud nos omnino seruanda.

CAPUT VI.

De his qui pro iure exigendo possunt alios ad curiam regis vocare, quo ad primam causarum cognitionem.

SUMMARIUM.

- 1 Miserabiles persona possunt vocare et quotlibet ad curiam regis in prima causa instantia: & an possint apud iudicem ecclesiasticum eos consentire.
- 2 Pupillus & orphanus hoc privilegium habent, ut possint reos ad curiam trahere, quo ad primam cognitionem.
- 3 Pauperes idem ius habent, quod orphani ac pupilli.
- 4 Pauperibus litigantibus, nisi sine publico stipendio dandi advocati, & an teneatur quis gratis esse patrocinari.
- 5 Pauperi litiganti, an cogatur aduersarius diuos litis expensas exhibere?
- 6 Si iustitiam vel inuentionem querens à suo instituitur, que prouiso illi à lege datur, & ibid. intellectus l. si instituta, §. de iustitio. ff. de iust. testam.
- 7 An sit castro danda de restituenda alimentis & expensis, quas reus diues castro sit pauperi actori ministrare.
- 8 Filius pendente filiationis causa ex summaria cognitione percipit mandato iudicis à patre alimenta.

Iure quidem illud est constitutissimum, quod nemo potest, etiam ad curiam principis vocari pro lite examinanda in prima instantia: tamen si possit inuitus ad eam trahi per appellationem. *In nemo. C. de iurisd. omni. iud. Auth. ut differentes iudices. §. 1. regia l. 1. tit. 2. lib. 3. ordi.* Sunt nihilominus quidam quibus licet in curiam principis trahere, & vocare illos, à quibus in iudicio aliquid exigere velint, & aduersus quos actiones habent. Hoc enim statutum, & permissum est in multis casibus, quos vulgo dicimus (*casos de corte, id est, casus de curia*) Rei etenim extra proprium forum & domiciliu coguntur apud curiam regis iudices auctoribus respondere, ubi actor sit pupillus, vidua, pauper, aut denique miserabilis persona. Hoc sane in causis ciuilibus: nam de criminalibus idem est, ac pluribus casibus permittitur. Probatur in l. 5. tit. 3. par. 3. inquit enim lex, (*O por pleyto, que demandasse huex sano, o ome pobre, o, my cuytado contra algum poderoso, de que no pudiesse alcançar*

derecho, tambien por el suero de la tierra.) Apud Gallos item tenuari conitat ex stylo Parlamenti. *titul. de min. notan. Guid. sup. q. 466. & Rebuff. l. 1. tomo in leges regias, tit. de senten. prou. gl. vlt. colum. in in l. vlt. C. quando Imperator inter pupillum & viduam. ad forum. Ita enim inquit Conitant. Augustus ad Andronicum, *Quid sperilli, vel vidue, alique fortune in iura miserabiles iudicium non sperantur orauerunt, praesertim cum alicuius potentiam perhorrescant, eorum eorum aduersarii examini nostro sui copiam facere.* Hec Imperator, ex qua deducitur intellectus ad legem dictione, *praesertim, quoniam poderoso.*) Nam praxis idem admittit ac recepit, ubi iustiores in iure dicuntur tamen regii Neapolit. *consultat. l. tit. 37.* exigat in hoc casu ab his miseris aduersus iustiores. Scribit ad hæc diuus Hieronymus in commentariis ad Hieroniam super cap. 22. regum officium proprium esse facere iudicium, atque iustitiam, & liberare de manu calumniarum vi oppressos, & peregrinis, pupillisque & viduis, qui facilius opprimuntur à potestatibus, præbere auxilium. *cap. 2. regum. cap. 2. administratores. cap. 2. principes. 2. 3. quæstiones. §. his & illis.* conuenit, quod vidua & miserabiles persona, possunt reos laicos coram ecclesiastico iudice super rebus profanis conuenire, ubi iudex secularis neglexerit eis iustitiam ministrare. *cap. 1. ex tenore, ubi omnes de foro competenti. cap. 1. de iustitiam. ubi gloss. de offic. delegat. notant. Ioan. Lup. in cap. per vestras de donatio. inter viram & vxorem. 2. notat. numero. 5. cum hic persona quoad protectionem pertineant etiam ad ecclesiasticum iudicem. cap. 1. & sequentibus 87. distinet.**

Imo & in hoc tractatu solet adnotari, quod ubi quis sit miserabilis, simul & oppressus, nepe per vim, vel alio modo re propria expoliatus, ita ut possit agere interdicto recuperanda, poterit ad hoc coram ecclesiastico iudice agere, etiam aduersus laicum, & de re temporali, eum ipsemet actor laicus sit etiam non data negligentia iudicis secularis. Ad huius conclusionis probationem adducitur *text. in cap. 2. parte B. de foro comp. quo in loco sicuti constat ex Pan. & aliis, ita Doct. communium omnium consensu adnotantur, & probare conati sunt. Idem Soc. in c. licet ex suscepto de foro comp. c. 2. Et Ioan. Staphilæus, de liberis grat. & iustitia. fol. 159. col. 2. Ego vero hanc sententiam non esse admittendam, opinor ex ratione *text. in c. noui de iudic. nec enim Papa nec iudex aliquis ecclesiasticus debet, nec potest cognoscere inter laicos, nec aduersus laicum reum super re temporali etiam ad petitionem miseris alicuius oppressi, & expoliati, nisi iudex secularis negligens fuerit in administratione iustitiae. Nam summus Pontifex grauius offenderet principes seculares, si minime negligentibus ipsius eorum iurisdictionem occuparet. Nec quicquam vrget in contrarium *text. in d. c. parte B. Quia maxima inerat in eo casu suspicio negligentie in iudice seculari propter potentiam rei conuenti, qui actori expoliauerat. Tandem, ut quid in hac questione lensero ingenue profitear, hoc certo scio, hanc communem canonistarum opinionem apud Regia Hispaniarum, & Gallie pretoria rursi equidem fore, tantum abest, ut ea in vltim, & praxim recepta fuerit. Sed & legem ipsam Regiam quo ad presentem tractatum paulatim iuxta communem vltim, & iuris regulam interpretetur.***

Primus igitur casus à lege regia constituitur in pupillo, quæ orphanus appellat. Est enim Græca dicitio ab Hispanis usurpata, & eum significat, qui caret patre, Vt iur hac dictione Imperator l. privilegia. C. de epis. & cler. tradit hanc significatione Laur. Valla. l. 4. elegam. c. 33. distinguens orphanum à pupillo, quod pupillus sit, qui caret patre, est tamen in ea ætate, cui tutor datur. Apud Iuriconsultum in l. pupillus. ff. de ver. sig. accipitur pupillus pro eo, qui cum impubes est, definit in potestate esse vel morte, vel emancipatione. Nos hac in parte pupillum intelligimus eum qui simul sit patre orbatus, & minor pupillaris quidam ætatis: quod notant Cyn. in l. orphanus. ad fin. Cod. epis. & cleric. Alb. in d. l. vlt. col. 1. praxis vero hoc privilegium recepit etiam in minore viginti quingentis annis, qui patre sit orbatus. Nam & regia l. 1. tit. 2. lib. 3. l. 1. tit. 2. eodem lib. ord. l. 20. tit. 2. l. 1. tit. 18. & d. l. 5. par. 3. orphanum simpliciter tribuit hoc privilegium, non distinguens eius ætatem, quæ tamen necessario distinguenda est ad eos annos, in quibus alieno ductu & consilio viuendum est. Obtinet tamen hoc privilegium in orphanis & viduis, etiam diuis